

*Volradus miles de Indagine, dnus Wicnandus de Herstein, dnus Bernardus de Kamenc, dnus Albertus probus, dnus Tuto miles, & alii quam plures clerici & layci fide digni.*

**XLII. Henricus Ill. March. Misn. Monasterio donat villam Parvum Wizen a. 1264.**

**A** In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Nos *Henricus Dei gratia Misnensis & Orientalis Marchio*, Universis intuentibus præsens scriptum, Salutem in Domino. Cum nec multitudini rerum, nec longitudini temporum memoria sufficiens sit humana, ut quæ vel multa sunt, tenaciter apprehendat, vel, quæ longæva sunt, certa valeat retinere, datum est ei per gratiam conditoris, ut in sufficientia ipsius amminiculis adjuvetur, ne, quod fideliter ac utiliter ad honorem agitur Iesu Christi, nec non sustentationem eorum, qui ad divinæ contemplationis arcana sanctis desideriis jugiter accenduntur, pereat, aut inutiliter evanescat. Notum esse volumus, tam præsentibus quam futuris, quod, cum super pietatis operibus promovendis velimus semper esse benevoli ac intenti, villam, quæ dicitur *Parvum Wizen*, & tertiam partem Foresti in *Wizen*, quæ bona *Boyzlaus de Wizen a Burchgravio Alberto de Liznic* jure tenuit Feodali, quæ bona resignavit dicto *Burchgravio* idem miles, & quæ bona cum omnibus pertinentibus ad eadem, ad resignationem ejusdem *Burchgravii* libere & voluntarie nobis factam, in remissionem peccaminum nostrorum & progenitorum nostrorum, & ob reverentiam Iesu Christi, ecclesiæ in *Buch*, & religiosi ibidem Deo jugiter famulantibus, qui se & sua penitus abnegarunt, jure omni proprietatis contulimus in perpetuum possidenda, cunctis in ævum temporibus inconcussis. Ut autem hujusmodi nostra donatio stabilis maneat atque firma, in testimonium præsens scriptum dedimus super eo nostri sigilli munimine roboratum. Datum *Suselitz* anno Domini M. CC. LXIII. X. *Klas Junii*. Hujus rei testes *Albertus Burchgravius de Liznic, Johannes Burchgravius de Liznic, O. de Vizenberc, Volradus & Vhricus fratres dicti de Coldiz, præpositus Witego de Northusen, Albertus dapifer de Burne, Henricus Camerarius de Gnanenstein, Arnoldus de Polseniz, Conradus de Landesberc, Conradus de Luppe, Ottho de Pozuz, & alii quam plures.*

**XLIII. Idem ejusque Filii conferunt eandem villam Monasterio a. 1264.**

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. *Henricus Dei gratia Misnensis & Orientalis Marchio*, Omnibus in perpetuum. Ad hoc divino favore ad principatus sublimitatem nos credimus esse promotos, ut loca divino cultui mancipata principali liberalitate promoveamus, fervorumque Dei utilitatibus in subsidiis temporalibus subvenire studeamus. Noverint igitur universi, quibus præsens pagina patebit, quod nos ob remissionem peccaminum nostrorum, de consensu & libera donatione filiorum nostrorum dilectorum, videlicet **C** *Alberti Lantgravii Thuringorum, & Theoderici Marchionis de Landesberch*, villam, quæ dicitur *parvum Wischen*, & tertiam partem foresti in *Wischen*, quæ bona *Boyzlaus* dictus de *Wischen* a *Burchgravio Alberone de Liznik* jure tenuit feodali, quæ bona resignavit dicto *burchgravio* idem miles cum tribus filiis suis, quæ etiam bona cum omnibus pertinentibus ad eadem ad resignationem ejusdem *Burchgravii* libere & voluntarie nobis factam, Ecclesiæ in *Buch*, Cystericiensis ordinis, & religiosi ibidem Deo jugiter famulantibus, qui se & sua penitus abnegarunt, cum omni jure proprietatis contulimus in perpetuum possidenda cunctis in ævum temporibus inconcussis. Ut autem huiusmodi nostra donatio & prædictorum filiorum nostrorum stabilis maneat atque firma, in testimonium præsens scriptum dedimus super eo, nostrorum sigillorum muniminibus roboratum. Datum *Suselitz*, anno Domini M. CC. LXIII. VI. idus Junii, Indictione VII. Hujus rei testes sunt *Albero Burchgravius de Liznik, Johannes Burchgravius de Witin, Meinberus de Vizenburhe, Volradus & Vhricus fratres dicti de Choldiz, Witego præpositus de Northusen, Albertus dapifer de Burne, Henricus Camerarius de Gnannenstein, Arnoldus de Polseniz, Conradus de Landesberch, Conradus de Luppe, Otto de Poziz, & alii quam plures.*

**XLIV. Theodericus Marchio de Landesberc consentit in hanc donationem a. 1264.**

Nos *Theodericus Dei gratia Marchio de Landesberc* Recognoscimus & tenore præsentium protestamur, quod considerantes piam donationem, quam dilectus pater noster illustris princeps *Henricus Misnensis & Orientalis Marchio*, claustro in *Buch* ordinis Cisterciensis, ob remedium animæ dilectæ matris meæ *Constantiæ* piæ memoriæ erogavit, videlicet villam, quæ

par.